

LAUDES AD OMNES HORAS [LaudHor]

[*Rubrica*: Incipiunt laudes qua ordinavit beatissimus pater noster Franciscus et dicebat ipsas ad omnes horas diei et noctis et ante officium beate Marie Virginis sic incipiens: *Sanctissime Pater noster qui es in celis etc. cum Gloria /Patri*. Deine dicantur laudes]:

¹ Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens,
qui *est* et qui *erat* et qui venturus est (cfr. Apoc 4,8):

Et laudemus et superexaltemus eum in secula (cfr. Dan 3,57b).

² Dignus es, Domine Deus noster, †

accipere *laudem*,
gloriam et honorem *et benedictionem* (cfr. Apoc 4,11):

Et laudemus et superexaltemus eum in secula.

³ Dignus est agnus, qui occisus est, †

accipere virtutem et divinitatem et sapientiam et fortitudinem *
et honorem et gloriam et benedictionem (Apoc 5,12):

Et laudemus et superexaltemus eum in secula.

⁴ Benedicamus Patrem et Filium

cum Sancto Spiritu:

Et laudemus et superexaltemus eum in secula.

⁵ Benedicite omnia opera Domini Domino (Dan 3,57a):

Et laudemus et superexaltemus eum in secula.

⁶ Laudem dicite Deo nostro, omnes servi eius

et qui timetis *Deum*, pusilli et magni (cfr. Apoc 19,5):

Et laudemus et superexaltemus eum in secula.

⁷ Laudent illum *gloriosum*

celi et terra (cfr. Ps 68,35-R):

Et laudemus et superexaltemus eum in secula.

⁸ Et *omnis creatura* que in celo est †

et super terram et *subtus terram*,
et mare et que in eo sunt (cfr. Apoc 5,13):

Et laudemus et superexaltemus eum in secula.

⁹ Gloria Patri et Filio *

et Spiritui Sancto:

Et laudemus et superexaltemus eum in secula.

¹⁰ Sicut erat in principio et nunc et semper *

et in secula seculorum. Amen.

Et laudemus et superexaltemus eum in secula.

¹¹ *Oratio*: Omnipotens, sanctissime, altissime et summe Deus, omne bonum, summum bonum, totum bonum, qui solus es bonus (cfr. Lc 18,19), tibi reddamus omnem laudem, omnem gloriam, omnem gratiam, omnem honorem, omnem benedictionem et omnia bona. Fiat. Fiat. Amen.